Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 251
Quelle:
Copyright:

Ita ex laude principiorum ſuorum laudabile iudicatur. &c. Alterius in illud: *Generationem ejus quis enarrabit* &c. *Iſa.* 53. initium eſt: *Cantate deo canticum nouum quia mirabilia fecit. fecit enim de ſimplici piſcatore primum papam* &c. Eſt porro etiam circa finem harum *Poſtillarum* obſervandum, terminari eas in Editis: *coeleſtium terreſtrium et infernorum;* in *Codice* vero addi: *Item queritur de forma baptiſmi.* Unde ſuſpicari ſubit, eas ne hic quidem integras et completas eſſe. Id quod e collatione plurium Exemplorum decidi poſſet. Subjecit Librarius: *Explicit poſtilla f. Nicholai* (additum *Gorram* coaeva manu) *Super Matheum.*

Ad compingendum Codicem anterius adhibita eſt Membrana continens Inſtrumentum *Curiae Pariſienſis*, quo a. 1299. texitur Inventarium relictorum Bonorum Mariti, cujus abſciſſum nomen, et uxoris *Yſabelle filie defunctorum Danielis de Moriaco et Johanne Quadrigarie;* poſterius vero Membrana autoritate ejusdem *Curiae* continens Teſtamentum Feminae cujusdam, cujus pariter abſciſſum nomen, *relicte quondam defuncti Johannis mangni piſcionarii piſcium marinorum, nunc vxoris laurencij de malo alneto ciuis pariſienſis*, anno, ut videtur, 1310. conditum. Utrumque Inſtrumentum multa Rerum utenſilium Vocabula latinobarbara ſubpeditat, et argumento eſt, Codicem e *Francia* in oras noſtras olim delatum fuiſſe.

CLXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 49
Folior. 313. f. per duas columnas luculente exaratus et rubricis diſtinctus, ducalique Collegio adtributus ab eodem *Berchtoldo de Emmerſtorff* continet ejusdem *Nicolai Gorrani Poſtillas in Evangelium Lucae.* Earum initium: *Diſciplina medici exaltabit caput illius* &c. et finis: *et opportunitatem. non more duraeionem continuam. Deo gratias.* Nempe ut edit. *cit.* T. II. a p. 1. ad p. 466.

CLXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 52
Folior. 417. f. per duas columnas exaratus et rubricis diſtinctus, quamvis Autorem nullibi prodat, idem tamen *Nicolai Gorrani* Opus eſt. In poſteriore Theca Carmina quaedam moralia mendoſiſſime adſcripta ſunt.

CLXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 79
Folior. 160. 4. currente calamo ſcriptus continet *Nicolai de Lira* O. M. a. 1340. vivis exemti *Poſtillas in Evangelium Matthaei*, quibus tamen pleniores ſunt, quae paſſim typis excuſae proſtant. Praeloquii initium eſt: *Quatuor facies vni. ezech. p°. Per ly vni intelligitur cauſa efficiens euangeliorum* &c. Expoſitionis in 1. Prologum: *Matheus. Hic eſt primus prologus beati Jeronimi* &c. In 2. Prologum: *Matheus. In iſto prologo*